

10. 16.

# TENTAMEN HISTORICUM

DE

MEDICINA

VETERUM SEPTENTRIONALIUM,

CUJUS

PARTICULAM IMAM,

PUBLICO OPPONENTIUM EXAMINI

SUBMITTIT

JON GISLESEN,

UNA

*L. H. Thorsen*

DEFENDENTE

JACOBO GEORGIO FRIIS

ERUDITO PHILOLOGIE CULTORE

IN

AUDITORIO

COLLEGII MEDICEI

DIE JUNII MDCCLXXIX.

h. p. m. f.

---

HAVNIAE

TYPIS SANDERO & SCHRÖDERIANIS,

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 309

LECTURE NOTES

BY

ROBERT H. COHEN


1962

PHYSICS 309

LECTURE NOTES

1962

PHYSICS 309



PRÆFATIO  
AD  
LECTOREM BENEVOLOM.

---

**C**um Specimen dissertationi publicæ dicatum editurus essem, dubius diu, tandem elegi TENTAMEN HISTORICUM DE MEDICINA VETERUM BOREALIUM conscribere, quod maximam partem collectum est ex antiquitatibus Patriæ. Multæ & invincibiles hic se objiciunt difficultates, auctores enim, è quibus hauriri debet talis historica cognitio, parci admodum sunt in enarrandis casibus, morborum generibus, & medendi methodis; qui tamen alias interdum nimis largi sunt in minutiis de aliis rebus referendis. Huc accedit, quod antiquitas nihil admodum super re medica ex instituto Scriptum nobis reliquerit, quæ omnia necessitatem imponunt multa



in hoc historico specimine nudæ probabilitati superstruere. Nihilo tamen fecius cupido invasit animum meum, tentare, quid in hac re possem, causis adductum specialibus, quæ hæc fere sunt: Primo scivi mihi idioma, quo conscriptæ sunt quam plurimæ patriæ antiquitates, quodammodo esse vernaculum. Deinde omne meum studium ad Medicinam contuli, quod utrumque haud alienum est a scopo hujus speciminis. Et denique nemo septentrionalium, quantum novi, huic historiæ parti operam ex professo impendit. Verum quidem est, quod Celeberrimus THOMAS BARTHOLINUS (a) in VINDICIIS MEDICINÆ DANORUM & aliis nonnullis scriptis suis pauca huc spectantia attulerit, quem clari quidam viri, ut & Filius sunt sequuti: hæc vero tam pauca, tamque parum accurata sunt, ut nequaquam sufficiant ad rectam viam ulterius scribere cogitanti demonstrandam. Cum hæc ita se habeant, pauca monere cupio benevolum lectorem; quod attinet ad fidem histo-

(a) *Fide ejus opusculum de MEDICINA DANORUM DOMESTICA.*



historicam auctoribus nostris, quos citabo, præbendam, ablego lectorem ad *immortalem* THORMODUM TORFÆUM (b), cujus eruditioni & probitati tantum confido, ut illum libenter sequi minime dubitem, mihi tantum judicium reservans de re hujusmodi qualibet, quæ in scriptis veterum occurrit, fieri enim potest, ut Historicus etsi alias veritatum narrator maxime sincerus, vel superstitione vel etiam imperitia rerum physicarum deceptus falsa afferat, quæ pro modulo eruditionis & ingenii, dum occurrunt, castigabo. Exemplaria omnium, quos adferam, auctororum conferre, & lectiones juxta antiquitates optimas eligere nulla mihi variis difficultatibus circumscripto fuit facultas, impetravi igitur ab amico meo Domino GUDMUNDO MAGNÆO, viro nulli cœvorum in eruditione & antiquitatum patriæ notitia secundo, ut corrigeret textum Islandicum, quem interdum ab exemplaribus prave excerptis desumere necesse habui. Chronologiam super celebrioribus Medicis in hocce opusculo enumerandis quod spectat, Virum

A 2

Doctum

(b) *Vide ejus SERIEM DYNASTARUM ET REGUM DANIE,*



Doctum & Perillustrem Dominum P. F. de  
 SUHM (c) indubius seqvor, quo præeunte  
 Tabulam chronologicam subnectam. Or-  
 do, quem generaliter in hoc tentamine  
 seqvi statui, hic esto: In tria Capita totum  
 dividam, quorum primum agat de personis  
 notabilioribus, qui artem medendi in sep-  
 tentrione exercuerunt. Secundum morbos  
 enumeret, quos veteres Medici debellare de-  
 bebant. Tertium comprehendat metho-  
 dum illorum medendi & remedia, quibus  
 utebantur. Tandem subjungam duplicem  
 indicem; uno enumerabo auctores & histo-  
 rias, quos adhibui in tentamine, altero res  
 complectar & vocabula Islandica notabiliora,  
 quæ hic occurrent. Ad ultimum lectorem  
 monendum habeo, ut hoc opusculum pro  
 tentamine accipiat dissertationis ergo con-  
 scripto, non vero plenam & exactam Histo-  
 riam Medicinæ septentrionalium Antiquo-  
 rum me composuisse postulet.

(c) *Compend. HIST. DAN. NORV. ET HOLSTATIÆ edit,*  
 1776.





---

---

TENTAMEN HISTORICUM  
DE  
MEDICINA  
VETERUM SEPTENTRIONALIIUM.

---

CAP. I.

DE

*Medicis Veterum Septentrionalium  
Illustrioribus.*

§. I.

*Princeps Veterum Medicorum Odinus, Nomen  
Borealium Ethnicorum.*

Veteres in septentrione Medicinæ cultores  
patrem in arte sua ODINUM agnoscunt,  
ipse nimirum in Hávamális (a) id est, *præ-*  
*ceptis Excelsi* ǫ: *Dei*, se artem medendi cal-  
lere his verbis testatur:

Þat kann ec annat,  
er þurfo yta synir,  
þeir er vilia læcnar lifa.

A 3

i. e. Novē

(a) *Caput runicum in Hávamális.*



i. e. *Novi id alterum,*  
*quo indigent mortalium filii,*  
*qui Medici vivere volunt.*

Neminem utique hoc antiquiorem Medicinam in septentrione exercuisse invenio. Neque mirum videri debet, ODINUM, qui in tot ceteris artibus tantum valuit, ut divinos in regionibus borealibus honores earum artium callido exercitio sibi acquireret, hac etiam alios multum antecelluisse; veniebat enim ex iis regionibus, quæ ante ejus adventum in septentrionem per aliquot secula experientissimis superbiverant Medicis, APOLLINEM (b) puto, CHIRONEM (c), ÆSCULAPIUM (d), & ambos hujus FILIOS (e), HIPPOCRATEM (f) & complures alios. Et quamvis ODINUS ante discessum suum Scholas Medicorum non frequentasset, eum tamen tantum artis imbibere potuisse statuo, ut æquipararet

- (b) OVIDIUS *Metamorphoseos* Lib. I. Fab. 9.  
 (c) PLIN. HISTORIÆ MUNDI Lib. VII. Cap. 56.  
 (d) IDEM Libro XXX. Cap. 8.  
 (e) CELSUS *Præfat.* Lib. I. *Homer. Iliad.* 2. vers. 218. & λ. v. 832.  
 (f) *Celsus, ibidem.*



pararet ruricolas nostro ævo, qui ingenio donati feliciori miras in curandis morbis virtutes interdum edunt, & qui si antiquitus vixissent, haud parvi æstimarentur. Quantum vero pretium huic suæ arti statuerit ODI-  
NUS, vel exinde intelligi potest, quod, dum artes suas in præceptis antea citatis enumerat, primum (g) & secundum locum huic tribuit. Quem plus divini cultus sibi præstiti huic arti magna cum calliditate exercitæ debere, quam singulis reliquarum, mecum statuet, qui considerat, quantum beneficia, quorum non infimum est valetudo restaurata, in mentibus hominum flectendis & concilianda amicitia atque æstimatione rigori imperioso & violentiæ prævaleant. — Quod vero ad æstimationem talibus hominibus etiam antiquissimis temporibus habitam attinet, adeamus HOMERUM (h), qui ita canit;  
*ἰητρος γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων.* i. e.  
*Medicus enim vir cum multis æquiparandus est aliis.* Tales quoque apud veteres plures locos invenimus. Nec opus est ex vetustate exempla peti, conspicimus adhuc umbram rei in nostris de floge Mænd esset floge Qvinder (Viri vel fæminæ sapientes)

A 4

dani-

(g) *Primum locum infra adferam.*

(h) Hom., Iliad. λ. v. 514.



Danice cognominatis, quos non solum vulgus, sed & qui supra vulgus sapiunt, doctrina & experientia celeberrimis non raro præferunt: Isti sane, si ODINO cœvi fuissent, cum eo de divinitate contendèrent.

§. 2.

*Dea Borealiſum Medici.*

Non ODINUM duntaxat, sed etiam fœminas Asianorum Dearum nomine a rudibus plagæ nostræ incolis adoratas artem novisse salutarem Edda SNORRONIS (i) indicat, cum nomina earum & munera recenset: Pridia er EIR, hun er læcnir beſtr i. e. *Tertia* EIRA, *qui optimus est Medicus.* Hinc liquet, quantum ista Dea valuerit in arte sua, unde & sine dubio EIR appellatur; Nam probabiliter ex voce Græca εἰρημή, quod quietem interdum significat, desumptum est ejus nomen, Medici enim est quietem ægrotanti amissam restaurare. Nempe *Eir* appellative sumtum est tranquillitas animi, vel clementia. (k) unde verbum ec eiri, *tempero, parco,* item *quietus sum animo* vel *æquo animo*

(i) Edda Snorronis in Fabulâ 30.

(k) Vita Egilli Skallagr. filii cap. 60. & 87.

no fero derivatum esse videtur, & eird. *incolumitatis permissio* (l). Vel etiam Dea nomen trahit ab εἶρω *necto*, nam quasi nectere debuit vulnera dehiscentiā, εἶρω, *incolumem servo*. Idem fere est, unde nomen habet; certè fertur fuisse Medicus optimæ notæ. Huic annumerari quodammodo merentur antiquorum VÖLVÚR *femine fatidicæ* & NORNIR *Parce*, quæ unæ eademque fuisse videntur. Illæ non tantum fata adultis prædicebant (m), sed & constituebant quoque infantibus præprimis (n), quem in finem parientibus sæpe affuerunt (o). Hæ utrum medicinam exercuerint nec ne, non evictum habeo, sed non nihil physices veterum, artis salutaris, ut & Physiognomiæ intellexisse (p) reor; & certe, si Nymphæ, quæ edulium illud svave (q) BALDERO ODINI filio

A 5

filio

(l) SNORRO STURLÆ *filius in Vita HALFDANI NIGRI*  
Cap. 8.


(m) *Vita ORMI STOROLFI filii* Cap. 7.

(n) *Vita NORNA GESTI* Cap. 10.

(o) HELG. HUNDINGI *interfecti: Oda prior* Stroph. 2.

(p) *Hist. ERICI RUFI*.

(q) SAXO GRAM. *Libr. III.*



filio coxerunt, ex iis fuerunt, Medicos non pro hominum salute duntaxat sed etiam Deorum illas egisse, modo narratio vera fit, non est dubitandum. Edda quoque meminit Völvæ, quæ Groa nominabatur, & catenus chirurgiam tractabat, quod cotem capiti Thori infixam carminibus elicere tentavit, atque adeo elicuerat, nisi niinio gaudio turbata carminum oblita esset (r). Qui autem de sagis istis plura noscere cupit, legere potest celeberr. THOMÆ BARTH. THOMÆ filii ANTIQVITATES DANICAS (s), ubi ritus earum, vestitus atque vaticinia egregie describuntur.

### §. 3.

*Inter Deos septentrionis Medicos Comparatio & Græcorum latinorumque Numina ejusdem artis.*

Si jam comparemus Medicos Septentrionis Deos cum Numinibus Græcorum & Romanorum, quæ eandem artem exercuisse feruntur, tantam inveniemus similitudinem, ut nomina tantum mutata rem vero

(r) EDDA SNORRONIS Fab. LV.

(s) *Ej*, Libr. III. Cap. I. 2. 4.



ro & officia eadem esse dixeris. Nam Odinus non modo variis artificiis & inventionibus, quibus Septentrionales ditavit, sed & arte medendi APOLLINEM refert, ni mavis excipere carmina, quibus ODINUS mederi docuit (t) <sup>g<sup>o</sup></sup> Pæanem hymnum Apollini imprimis dicatum imitata fuisse suspicor, hæc enim carmina supplicem invocationem ODINI ceterorumque Deorum, non vero diras & execrationes, continuisse certè confido. Dea, cujus memini, EIRA HYGEÆ ÆSCULAPII filiæ (u) assimilari potest, illa Medicus vocatus optimus, hæc sanitati conservandæ præest. Ceteræ Nymphæ, Parcæ, Fatidicæ comparari possunt cum reliquis Græcorum Latinorumque hujus sexus Numinibus. Quicumque igitur veterum septentrionalium, qui arte sua salutari aliis profuerunt, ad ODINUM & EIRAM *genus* referre eodem jure possunt, ac Græcorum Romanorumve Medici ad ÆSCULAPIUM suum vel ejus parentem APOLLINEM, Arsque illorum SCIENTIA SALUTARIS ODINICA recte nominatur, cujus vestigia nostris adhuc temporibus quibusdam in septentrione locis invenimus.

§. 4.

(t) CAPUT RUNICUM *in* HAVAMALIS.(u) *Illam & sorores enumerat* PLIN. HIST. MUND. Libr. XXXV. Cap. 11.



## §. 4.

*Reges Borealium Medici*

Antiquissimis temporibus.

Postquam Deos Medicinæ Borealium antiquæ statores consideravimus, Reges illorum, qui artem suo exercitio condecorarunt, attendere statuimus, in quibus primum locum obtinet SKIOLDUS ODINI filius (secundum antiqua Islandorum monumenta, etsi secus sentiat SAXO), qui paternas medendi virtutes a parente edoctus, una cum regno, jure quasi hæreditario accepisse videtur. SAXO de hoc Rege ita inter alia loquitur (x): *Ægros fomentis prosequi, remediaque graviter affectis benignius exhibere solebat; se non sui, sed patriæ curam suscepisse testatus.* Quanta optimo huic Regi ex arte sua laus & gloria in posteritatem redundaverit, exinde liquet, quod ad SAXONIS usque tempora fama ejus ut Medici superfuerit; Dolendum igitur est, quod historia tam parca tamque abrupta nihil de eo nobis ultra suppeditet.

Meminit

(x) SAX. GRAMM. Lib. I.





Meminit præterea SAXO Regis GRAMI (y), quem SKIOLDI filium & successorem facit. Hic SIGNEN Regis Finno- rum SUMBLI filiam dolo ablaturus, cum pauperrimum virum præ se ferens de artificio suo interrogaretur, medendi artem professus est. Ex his Auctoris citati verbis concludo Medicam cognitionem iis tempestatibus multo in honore habitam fuisse adeo, ut Medico licet vilissimis pauperum vestimentis induto ob artem suam in aulis Regum vivere licuerit.

Ad horum forte classẽ referri debet Rex Daniæ FROTHO PRIMUS cognomine PACIFICUS, quem auro veluti alexipharmaco usum fuisse Saxo perhibet (z): *Nec prætereundum, Frothonem contusis commolitisque auri fragminibus cibos respergere solitum, quibus adversus familiares veneficorum insidias uteretur.* Si nemine sibi svadente, propria virtute remedium hocce contra venena valere cognovit Rex, certum est eum physices & therapeutices cognitione non mediocriter imbutum fuisse, sed cum auctoritas historica ad hoc illustrandum mihi desit, id in medio relinquere cogor Ne- que

(y) SAX. Libr. I.

(z) Id. Libr. II.



que tamen Rex Frotho auro hanc virtutem inesse solus credidit, plures enim veterum hac in re consentiunt, ad quod probandum hæc Plinii verba adferre satis erit (a); *Aurum plurimis modis pollet in remediis. Vulneratisque & infantibus applicatur, ut minus noceant, quæ inferantur, veneficia.* His addi potest, quod HISTORIA VOLSUNGORUM de GUNNARE Regis GIUKI filio, & matre ipsius Regina GRIMHILDA narrat, qui licet Medici non fuerint, potiones tamen veneno oblivionem inducente imprægnatas parare noverunt (b): *Þeir villdu velia systur sinni góðar gíafir, oc mælltu vel vid hana, enn hún trúði öngvum þeirra. Síðan færði GUNNAR henni meinsaman dryck, oc vard hún vid at taka, oc mundi síðan öngvar sakir, i. e. Dona sorori suæ selecta offerentes blanditiis ipsam mitigare tentarunt, quæ neutri eorum confidere voluit. Deinde GUNNAR noxiam ei porrigebat potionem, quam sumere adacta nullarum postea injuriarum meminit. Ex sequentibus hujus loci verbis, ut & subnexis strophis, intellectu tamen partim difficilibus, tantum colligere possum, quod plurimarum rerum natu-*

(a) PLIN. HIST. MUND. Libr. XXXIII, Cap. 3.

(b) VOLSUNG. HIST. Cap. XLI. (3)



naturalium vires scopo suo inservientes no-  
verint. Idem de matre GUNNARIS Regina  
GRIMHILDA historia præbet exemplum,  
dum SIGURDUM FAFNERI INTERFECTOREM  
fascinare voluit, ut apud se manens filiam  
uxorem duceret (c); SIGURDR tók því vel,  
oc vid þann dryck mundi hann ei til BRYN-  
HILDAR, hann dvaldist þar um hríd. i. e.  
*SIGURDUS id bene excepit, qui assumpta pe-  
tione BRYNHILDÆ oblitus ibi aliquantum  
temporis mansit.*

### §. 5.

#### *Regiæ Principes.*

Quæ apud antiquos Boreales Medicinam  
exercuerunt.

Priusquam Reges Regumque filios enu-  
merando longius progrediar, fas erit qua-  
rundam Principum meminisse, quas Me-  
dicinam æque ac illos exercuisse confir-  
mant scripta antiquorum. Saxo meminit  
Virginis NITHERORUM (forte THRAN-  
HEIMENSUM) Regis HAQVINI filiæ, quæ  
HADINGUM DANIÆ Regem, ipsius virtute  
ab ingrato proco gigante quodam libe-  
rata


(c) Ibid. Cap. 35.



rata, sanavit (d); *Auctorem beneficii puella crebris obtusum vulneribus ignara medendi cura prosequitur. Cujus ne notitiam temporis interjectus eriperet, crus ejus annulo vulnere incluso obsignatum reliquit.* Hinc liquet Regiam hanc Virginem multum super ceteros in chirurgia potuisse, quæ tam graviter fauciato mederi novit. HROMUNDI GREIPI HISTORIA aliam Principem nominat, SVANHVITAM nempe, Regis GARDARIKÆ OLAI sororem, quæ abdomen viri dissectum consuisse fertur (e); Nú eru kóngs systor sóktar, kannar SVANHVÍT sár HRÓMUNDAR, oc faumar saman kvidinn, oc leitar hönum hæginda. Hún liet færa hann karli þeim til grædslu, er HAGALL het, kerling hans var klók, þau toku við hönum oc græddu hann at heilu. i. e. *Tunc Regis sorores advocatæ sunt; SVANHVITA vulnera HROMUNDI rimata, abdomine confuto, vulnus ei medicamentis admotis fovit, atque eum restituendum ad senem (rusticum) quendam nomine HAGALLUM, cui uxor erat admodum sagax, avehi curavit.* Hic luculenter testatur historia, qua-  
lis

(d) SAXO Libr. I.

(e) HIST. HROMUND. GREIPI fil. Cap. 8.



lis chirurgus Svanhvita fuerit, nemo enim abdomen dissectum consuere facile aggreditur, nisi in arte multum antea exercitatus.

HISTORIA HALFDANI EYSTEINIS filii dat similiter exemplum Regiæ Virginis INGIGERDÆ Regis GARDARIKÆ HERGEIRIS filiæ, de qua, cum sub nomine GRIMI latens, sexu & loco dissimulato, apud Regem EYSTEINUM, qui patrem ejus occiderat, una cum nutricio Comite SRULIO hiemavit, relatum lego (f); Nú geingu þessir ókendu menn i fæti á hinn nedra beck, oc dvöldust þar nú nockra tíma; oc var hinn stærri GRÍMR fámálugr, oc óadgiætinn um flesta hluti, enn hinn minni GRÍMR var meistari á allar sóttir at lækna. i. e. *Et jam ignoti isti homines sedem occuparunt in scanno inferiori, ubi per aliquantum temporis morabantur; Fuit GRIMUS statura major taciturnus & rerum incuriosus plurimarum, minor vero GRIMUS erat peritus in morbis omne genus sanandis.*

Hic

(f) HIST. HALFD. EYST. filii Cap. 7.



Hic præterire nolo Regiam Virginem INGIGERDAM, cujus mentio fit in RHYTHMIS de CAROLO & GRIMO Sveciæ Regibus, quæ sponsum suum, cui dissectum erat abdomen & intestina læsa, salutem restituit (g); Brudurin græddi geira þund, GRÍMR nádi at festa sprund. i. e. *Sponsa hastæ extensorem sanavit, GRIMUS sponsaliis virginem sibi conjunxit.* Quis negabit tales Principes advetas fuisse medelam adferre plurimis morbis, imprimis chirurgicis, quæ tanti momenti vulnera ferro & medicamentis adhibitis feliciter curarunt.

His annumerare possumus BRYNHILDAM Regis Budli filiam, quæ runarum quarundam usum medicum poemate speciali SIGURDUM FAFNERICIDAM docuit; ex quo hæc strophæ ad medicinam quodammodo spectant (h):

Biargrúnir skaltu kunna,  
ef þu biarga vill,

oc

(g) RHYTHM. II. de CAR. & GRIM. apud BIÖRNERUM.

(h) Hist. Volsung. Cap. 39.



oc leyfa kind frá konom;  
á lófa skal þær rifta,  
oc of lidu spenna,  
oc bidia þá dífir duga.

- i. e. *Auxiliatrices runas noscas,*  
*si auxiliari vis,*  
*Et solvere partum á puerperis;*  
*volis manuum eæ incidantur,*  
*Et articulis circumdentur,*  
*Dearumque auxilium imploretur.*

Lim (lin) rúnir skalltu kunna,  
ef þú villt lænir vera,  
oc kunna fár at fiá;  
á berki skal þær rifta,  
oc á bari vidar,  
þeim er lúta austur limar.

- i. e. *Rameas (lenientes) runas noscas,*  
*Si Medicus esse cupis,*  
*Et vulnera dignoscere posse;*  
*corticij incidantur*  
*Et gemmæ arboris,*  
*cujus rami eorum versus nutant.*



Hi licet versus haud parum superstitionis redoleant, tantum tamen ex iis concludo, Heroicam Virginem BRYNHILDAM cognitionis medicæ expertem haudquaquam fuisse; plures enim antiquos Medicinam exercentes runicis characteribus multum tribuisse invenio, quibus tamen omnibus eam laudem denegare, quod medici suo tempore fuerint, non audeo; At hujus rei rationem in Capite de Medicamentis Borealium reddere conabor.

### §. 6.

*Medici inferiore loco nati,*  
ex utroque sexu antiquissimis temporibus.

Enumeratis jam quibusdam principibus utriusque sexus in septentrione medicis, præstabit nonnullos inferiore loco ortos commemorare, qui iisdem temporibus viventes artem noveruntque & exercuerunt, ne nimis longum emensi temporis spatium in recensendis Principibus Medicis, revocemus lectorem ad attendendum inferioris loci Medicos, qui vel coævi fuerunt regibus principio allatis, vel circa eorum tempora vixerunt. Primum hujus generis Medicum cum SAXONE nominare volo LISERUM, Piratam quendam, qui cum Rege HADINGO intimam inivit societatem,





tem, de illo ita SAXO (i); *Quibus superatis fugientem Hadingum prædictus senex ad penates suos eqvo devehendum curavit, ibique suavissimæ cujusdam potionis beneficio recreatum, vegetiori corporis firmitate constaturum prædixit. Cujus augurii monitum hujusmodi carmine probavit:*

*Protinus admissa vapidum cape fauce cruo-*  
*rem,*

*Corporeamque dapem mordacibus atteremalis.*

*Tunc nova vis membris aderit, tunc robora*  
*nervis*

*Succedent inopina tuis, solidique vigoris*

*Congeries penitus nervosos illinet artus.*


Senem tamen, qui salutarem hanc potionem & offam HADINGO paravit, ODINUM fuisse credideris, si locum hunc SAXONIS cum historiis quibusdam in antiquitatibus compares; iste nimirum inducitur ab SAXONE altero oculo privatus, magiæque admodum peritus, hoc enim sequens versus verbaque subnexa testantur (k);

B 3

*Ipse*

(i) SAX. Lib. I.

(k) Ibid.




*Ipsę struam votis aditum, famulosque sopore  
Conficiam, Et lenta stertentes nocte tenebo.*

*Et cum dicto relatum eqvo juvenem pristino  
loco restituit. Tunc Hadingus amiculi ejus  
rimas, sub quo trepidus delitebat, per sum-  
mam rerum admirationem visus perspicui-  
tate trajiciens, animadvertit equinis freta  
patere vestigiis, prohibitusque rei incon-  
cessę captare conspectum, plenos stuporis  
oculos a terribili itinerum suorum contem-  
platione deflexit. Talia facinora egregie  
conveniunt cum iis, quę ODINO passim tri-  
buntur, locum igitur hunc partim fabulo-  
losum esse suspicor, sincerus licet SAXO ac si  
verum retulerit.*

Meminit quoque SAXO Medici 'cujus-  
dam mira quidem indole sed insigni in arte  
peritia præditi, qui VITOLFUS appellatur,  
testimonium SAXONIS de eo ita sonat (1);  
VITOLFUM quendam olim HARALDO mili-  
tantem saucii corporis curam petiturus ac-  
cessit. Hic in castris majore ætatis parte  
consumpta tandem in hujus provincię solitu-  
dinem post tristia ducis fata concesserat, ibi-  
que rusticę vitę cultu consveta militiæ stu-  
dia relaxabat. Qui quod hostilibus sæpe te-  
lis petitus fuerat, non infamam medendi  
peri-

(1) SAX. Lib. VII.



*peritiam assidua vulnerum suorum curatione contraxerat. Siquis vero operam ejus blandimentis exposceret, hunc medelæ loco osculæ læsionis noxa afficere solitus erat, aliquanto speciosius beneficia minis quam adulatione exposci judicans. Idem ERICI milites penatibus suis occupandi HALFDANI cupidine imminentes ita videndi officio spoliavit, ut propinvas ædes nec prospectu capere, nec certis possent vestigiis indagare, adeo luminum usum nubilus quidam error obtuderat. Cujus opera HALFDANUS virium integritatem adeptus, accito THORONE conspectioris ingenii pugile, ERICO bellum denunciat. Non opus est, ut his Auctoris verbis aliquid addam, per se enim conspicua sunt; id tantum notandum est, quod vir iste indole omnium medicorum maxime singularis magiam æque ac medicinam exercuerit, quod non rarum est in vetustioribus septentrionis medicis.*

His accedit rustici filius qui STARCHATERUM Danorum heroem manu fortissimum & poëtam insignem fauciatum juvit, de quo laudati SAXONIS verba hæc sunt (m): *Accedens itaque ruricolæ filius evulsas stomachi partes pristino loco restituit, elapsamque extorum congeriem nexili viminum complexione*

(m) SAXO HIST. DAN. Libr. VI.



*ne perstrinxit.* Hujus loci meminit quoque clarissimus THOMAS BARTHOL. in opusculo de MEDICINA DANORUM DOMESTICA, putatque rusticum hunc veterinarium fuisse, qui hujus artis principiis nixus STARCHATERUM juverit: nullis tamen argumentis probat sententiam suam, unde contraria Clar. Viri assertis statuere mihi licēbit; Veterinariam artem in Dania tunc temporis ad illud fastigium evectam fuisse, ut secundum hanc artem etiam hominibus mederi quis noverit, vehementer dubito, requiritur enim alia homines alia jumenta curandi methodus; sæpiusque inquietos septentrionales invicem præliis sauciatos fuisse, imprimis abdomine & intestinis, quam illorum eqvos, cuique erit probabile. Neque rustici minus vulneribus affveti erant, quam alii homines, Reges enim suos in præliis sequi necesse habebant, quod æque huic evenisse potuit: adscribo igitur potius rudem ejus vulnus STARCHATERI obligandi methodum defectui aptiorum ligamentorum, quibus tamquam viator destitutus fuerit, quam veterinariæ medendi arti, laudique ipsi duco, quod defectus necessariorum illum opis & consilii expertem non fecerit. Hæc tamen verba auctoris citati mihi non tantum displicent, quantum, quæ mox sequitur, conclusio, nescio enim, quæ caligo mentem tanti viri obnubilaverit, qui postquam

